



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Stephani Balvzii Tuzelensis Præfatio Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735



STEPHANI BALVZII
TVTELENSIS

PRÆFATIO AD LECTOREM.



AMVS tibi, lector, secundum Miscellaneorum nostrorum librum, in quo primum jure meritoque locum obtinet liber Lactantij de mortibus persecutorum, nunc primum editus ex vetustissimo codice MS. bibliothecæ Colbertinæ, de cujus libri præstantia, dignitate, & utilitate non opus est plura dicere in præsentiarum, cum abundè huic argumento satisfactum sit in Notis ad illum nostris. Sequitur postea fragmentum de extremo judicio, quod invenimus in codice 1095. ejusdem bibliothecæ subjunctum libro septimo institutionum & ante librum de ira Dei. Ex quo nos collegimus illud etiam esse Lactantij.

Huic libro adjunximus vetusta quorundam martyrum acta, ævi præsertim Diocletiani, quorum nonnulla nunc primum edun-

P R Æ F A T I O

tur ex antiquis libris ejusdem bibliothecæ ; reliqua , quæ antehac vulgata fuerant , sic emendantur ut verè dici possint nunc primum edita. Secuti autem in hoc sumus clarissimorum ac doctissimorum virorum iudicium , qui nobis auctoritate sua , qua plurimum apud nos valent , persuaserunt ut hæc martyrum acta conjungeremus cum libro Lactantij. Erunt, ut putamus , ista omnia acceptissima studiosis historiæ ecclesiasticæ , in quorum præcipuè gratiam suscepimus hunc laborem.

In collectione veterum epistolarum quam heic damus , is ordo servatus est ut antiquiores præcederent , recentiores subsequerentur. In initio ponitur epistola Gregorij IV. Papæ de dignitate & privilegiis monasterij Floriacensis , quam nobis exhibuerunt schedæ doctissimi viri Iacobi Sirmondi ; in qua illud observandum est , primum locum inter Abbates Gallicanos tribui Floriacensi ob reverentiam corporis sancti Benedicti. Si constaret de veritate & antiquitate privilegij quod Zacharias Papa concessisse dicitur monasterio Casinensi , fas foret existimare Gregorium pressisse vestigia decessoris sui Zachariæ , qui decrevisse legitur *ut supradditus locus dignitate , vigore , ac honorificentia præcellat omnia monasteria quæ constituta vel constituenda sunt in toto orbe terrarum , Abbasque ejusdem loci celsior & celebrior existat*

A D L E C T O R E M.

omnibus Abbatibus eandem regulam tenentibus, illicque lex monastici ordinis caput teneat ac principatum ubi ejusdem legis descriptor Benedictus pater sanctissimus eandem describens promulgavit regulam, ibique Abbates & monachi honorem ac reverentiam deferant, & ibi usque ad diem judicij quærant rectorem ubi monachorum universalis magister & doctor Benedictus pater almificus corporaliter unà cum sorore sua quiescens, gloriosæ resurrectionis diem expectat. Verùm privilegium illud suspectum visum est illustrissimo Cardinali Baronio, tum quia Indictio non congruit cum anno Pontificatus Zachariæ quo privilegium illud concessum dicitur, tum quia stylus discrepat ab aliis ejusdem Pontificis literis. Adde quòd nulla istiusmodi prærogativæ mentio extat in eorum Pontificum epistolis qui postea confirmarunt privilegia monasterij Casinensis, usque ad tempora Alexandri secundii. Eandem Zachariæ epistolam confirmavit & suæ inseruit Gregorius Papa IX. ut videre est apud Odoricum Raynaldum. Ad Floriacense privilegium quod attinet, confirmatum reperitur à sequentibus Pontificibus, ut videre est in Bibliotheca Floriacensi pag. 240. 242. Eo porrò exemplo, ut ad annum MCCXLIII. scribit Matthæus Parisius, concessum est postea Abbati sancti Albani Cantuariensis ut sicut beatus Albanus protomartyr est Angliæ, ita & ejus Abbas primus

P R Æ F A T I O

ſc̄i omnium Abbatum Angliæ ordine & dignitate.

Ingens olim, & quæ magnis utrinque animis agitata eſt, controverſia fuit inter monachos ſancti Albini Andegavenſis & Vindocinenſes occaſione Eccleſiæ ſancti Clementis Credonenſis, quam utrique ad ſuum monaſterium pertinere debere contendebant. Qua de re pluribus egit laudatus ſuprà Sirmondus in Notis ad epistoſas Goffridi Abbatis Vindocinenſis. Nos quum anno MDCLXI. ad monaſterium ſancti Albini acceſſiſſemus in comitatu magni illius & nunquam ſine laude nominandi Archiepiſcopi Pariſienſis Petri de Marca, veteresque membranas ejuſdem monaſterij excutere-
mus, nonnullas reperimus quas Sirmondus non viderat, ut opinor, & quæ plurima continent ſcitu non indigna. In illis porrò obſervandum in primis eſt quod pag. 170. dicitur Andegavenſem Comitem interminando addidiſſe *quia ſi Amatus de hoc placito ſe ita intromitteret ut aliquo modo Vindocinenſes monachi ſancti Clementis Eccleſiam amitterent, procul dubio nec ſuus Episcopus nec ſuus monachus eſſet.* Hinc enim colligi po-
teſt celeberrimum illum Amatam Oleronenſem primùm in Novempopulania Episcopum, dein Burdegalenſem, qui per tot annos fuit apoſtolica ſedis Legatus in Aquitania, qui tot Concilia celebraſſe reperitur,

AD LECTOREM.

monachum fuisse. Quod etiam ex eo confirmari posse videtur quòd in literis Gebuini Lugdunensis Archiepiscopi ad Rodulfum Archiepiscopum Turonensem & ad Eusebium Episcopum Andegavensem idem Amatus, qui & Episcopus & apostolicæ sedis Legatus erat, vocatur semper *Domnus Amatus*. Sanè Petrus Diaconus in libro de viris illustribus Casinensibus cap. xx. memorat Amatam Episcopum & Casinensem monachum, quem tempore Gregorij VII. vixisse perhibet; sed Ecclesiæ nomen, cui ille præfuit, non indicat. Verùm cum Amatus Oleronensis Episcopus legatione sedis apostolicæ ornatus fuerit ab eodem Gregorio, & missum ab urbe Roma in Aquitaniam fuisse ostendi possit ex litteris de legatione ejus, conjectura non levi certè neque contemnenda ducor ad suspicandum illum non esse diversum ab eo qui fuit monachus Casinensis.

Habuerunt paulò post Vindocinenses alteram controversiam cum Canonicis B. Mariæ de Bosco, quibus auferre nitebantur Ecclesiam sancti Nicolai Credonensis. Pervicax illud Vindocinensium studium movit Ulgerium Andegavensem Episcopum ut gravissimam & elegantissimam relationem pro Canonicis illis mitteret ad Innocentium II. Romanum Pontificem; quam quum invenissemus inter schedas clarissimi viri

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Claudij Menardi Andegavensis, dignam arbitrati sumus quæ in manus eruditorum veniret. Addidimus autem vetera Ecclesiæ B. Mariæ monumenta quorum mentio est in relatione Vlgerij, quæ reperta sunt in chartulario ejusdem Ecclesiæ.

Supervacaneum esset plura dicere de variis epistolis ac chronicis quæ in hoc secundo Miscellaneorum nostrorum libro continentur, cum quivis per se satis intelligere possit quid utilitatis hinc capi possit. His utere, lector, & librum tertium propediem expecta. Vale.

